

Beiheft

2

S 114

1278 Mai 2 Kappenberg.

[48]
114

Bischof Everhard von Münster überträgt das Erbe Honhus bei Coesfeld dem Stifte Varlar.

Nos Everhardus, Dei gratia episcopus ecclesiae Monasteriensis, universis praesentia visuris notum facimus, quod Ludolphus miles de Wernen in nostra praesentia constitutus domum, quae dicitur Honhuss, sitam iuxta Cosfeldiam, quam a nobis jure feodali tenuit, una cum uxore et liberis, suis haeredibus, in manus nostras resignavit ea prævia ratione, ut proprietatem dictæ domus monasterio Varlarensi Praemonstratensis ordinis iure haereditario conferremus.

Nos igitur dictam ecclesiam speciali prosequentes dilectione et petitione præhabiti militis inclinati præfatam domum Honhuss cum universis suis attinentiis præposito et conventui monasterii Varlarensis prædicti conferimus per præsentes, recipientes pro eadem domo ab eodem Ludolpho milite jus proprietatis domus de Oldendorpe, sitae in parochia Sepenrode, et domum sitam in Wernen, dictam Riddereshuss, quas in recompensationem proprietatis domus Honhuss prædictae idem Ludolphus et sui posteri tenebunt a nobis jure, quo alteram domum tenuerant, feodali. Cuius rei testes sunt Hartlevus præpositus, Rodolphus prior, Conradus cellararius Capenbergensis; Henricus decanus sancti Georgii Coloniensis; Henricus notarius noster; Conradus dictus Strick, Henricus dictus Kerssekorff, Henricus de Ovethe, Wilhelmus de Mengede milites et alii quam plures. In cuius rei testimonium præsens scriptum eidem monasterio Varlarensi contulimus sigilli nostri munimine confirmatum. Datum in Capenberg anno Domini M^oCC^o septuagesimo octavo, in crastino apostolorum Philippi et Jacobi.

Kopie im Varlarer Kopiar S. 101.